

7188

1668
11
27

ANNUENTE, JEHOVA.
NOBILISSIMO, JCTORUM. ORDINE. SUFFRAGANTE,
SUCCINCTAM, DISCUSSIONEM,
THEMATIS.

UTRUM. OMNI. OBLIGATIONE. SOLVAT. FILIUMFAMILIAS.
SENATUSCONSULTUM. MACEDONIANUM?

PRÆSIDE.

DN. GODOFREDO, STRAUSS. JUR. LICENT.

PUBLICÆ. EXPONIT. CENSURÆ.

JOHANN. CASPAR. DE. LOSS,

EQVES. MISNIC.

IPS. NON. FEBR. HOR. MATUT.

cl. Isc. LXVIII.

IN. JCTOR. ACROAT.

WITTEBERGÆ,

CHARACTERE. FINCELIANO. EXCUDEBAT,

MICHAEL, METER.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its light color and the paper's texture.


Fragment of text from the adjacent page on the right, including the words: m, ni, tu, ce, m, fr, in, tr, re, qv, Be, fib, qv, ce, ev, res, co, Cu, tur, sub, sto.





JOVA JUVA!

§. I.



BEnè ac sapienter Dominicus Soto
 usurariam delineaturus pravitatem ex Chry-
 sostomo annotat; similem esse pecuniam usu-
 rarii morsui aspidis. Percussum enim ab aspi-
 de quasi delectatum abire in somnum, & per
 svavitatem soporis mori; quòd tunc venenum
 latenter per omnia membra decurrat. Simili
 modo sub usuram accipientem sentire sub
 tempore quasi beneficium; usuram verò per o-

e) De Just. & Jur. lib. 6. q. 8. art. 1. conf. Iohan. de Salas Comment. in secund. sec. D. Thomæ de Cõtractib. Tractat. de Usur. art. 1. dub. 1. num. 1.

mnes ipsius decurrere facultates, & in debitum convertere totum. Ita
 nimirum est; ne nimius forsitan inter homines charitatis, quæ cum in aliis,
 tum potissimum in sublevandâ per mutui dationem proximi necessitate
 cernitur, existeret fervor, non potuit sibi temperare cacodæmon, quin
 maligna illis suppeditaret consilia, ipsam eam sub æqvitatæ prætextu re-
 frigeratura certè, si non penitus extinctura. Quid enim effrenes illi &
 infruniti fœneratores aliud moliantur, quàm ut cum summo aliorum de-
 trimento sordidè ditescant, quos ad incitas non rarò plusquàm crudeliter
 redigunt, vix vitâ miseris relictâ miserrimâ. Ut rectè adeò percontanti,
 quid fœnerari? quid hominem occidere? responderit Censor Cato. *6)*
 Benè hinc Poëta: *γ)*

6) Cic. lib. II. de off. sub fin. γ) Auson. lib. 15.

Turpia lucra

Fœnoris, & velox inopes usura trucidat.

§. 2. Non igitur suâ destituendi veniunt Majores laude, qui, cavendum
 sibi rati, ne quid Respublica damni pateretur, circumspectam suam in hisce
 quoque exserere laborârunt providentiam, certis subinde legibus ad coër-
 cendam usurariorum malitiam promulgatis. Testatum hoc reliquit quàm
 evidentissimè modò laudatus Cato, *δ)* quando fœneratorem ait acerbio-
 res ac furem dedisse pravitatæ suæ pœnas, quòd more majorum quadrupli
 condemnari solitus fuerit ille, hic dupli solummodò multam subierit.
 Cumque; latius serpens malum hoc non in eorum tantum, quibus credebatur,
 sed & in aliorum tenderet ruinam, dum nempe filii familiars, creditâ sibi
 sub lege usurarum pecuniâ, ut obligatione sese liberarent, vel votis, vel fa-
 cto etiam non semel vitæ insidiabantur parentum; plusquàm inhumanum
 visum

δ) Lib. de Rust. ab init.



e) Tacit. lib. XI.
Annal. 13. A-
lex. ab Alex.
lib. I. Gen. dior.
c. 7. in fin.

z) l. 1. de SCt.
Maced.

n) Gothofred.
ad d. l. 1.

o) Dn. Strube
Exerc. 20. th. 51.
Dn. Frantzke
ad D. de SCt.
Maced. n. 4.

s) Dn. Strube
d. l.

x) Sveton. in
Vesp. Vita cap.
XI.

λ) d. l. 1.

μ) d. l. n. 5.

ν) Dn. Hahn.
ad VVesenb. de
SCt. Maced.
n. 3. p. m. 916.

visum id fuit Claudio Imperatori. Latâ igitur hic Lege scævitiâ creditorum cohibuit, ne in mortem scilicet parentum pecuniam filiisfamilias fœnori darent. s) Non potuit tamen saluberrima hæc constitutio interme- rata perstare diu. Sed cum exinde licentiam fœeneratorum pecunias fi- liisfam. credendi restrictam videret impudentissimus quidam usurarius Macedo, divini pariter atq; humani juris dictamina insuper habens; gna- rus interim, id propter datam iis accelerandi mortem parentum occasio- nem fuisse statutum, huic quoq; pessimò contravenire Legi exemplò non erubuit. Inter cœteras enim sceleris causas, quæ SCti Macedoniani z) verba sunt, quas illi natura administrabat, sive suggerebat, n) etiam æs alie- num adhibuit, & sæpè materiam peccandi malis moribus dedit. Urq; fraudem faceret Edicto Claudiano, o) incertis nominibus, hoc est, in incer- tum solutionis terminum, quandocunq; scilicet filiusfam. reddere credi- tum posset, ut non præcisè iste in tempus mortis paternæ conferretur, i) pecuniam filiisfamilias credidit, novitate sceleris Edicti prohibitionem pœnamq; elusus. Verùm & huic detestandæ vafritici masculè obviam tum fuit. Quas laudes jure suo sibi vindicat Vespasianus Imperator, qui auctor Senatui fuit decernendi, ne filiorumfam. fœeneratoribus exigen- di crediti jus unquam esset, hoc est, ne post mortem quidem parentum. κ) Antea enim, vivo quidem adhuc patre, creditoribus denegabatur repeti- tio, propter insidiarum nempe exinde orientium rationem; cessante verò hæc illo mortuo, & si constaret, citra filii scelus decessisse parentem, com- petebat efficaciter. Id quod optimè ex verbis Ulpiani, λ) ETIAM post mortem patris ex Legis dispositione denegari actionem, dicentis colligit subtilissimus Frantzkius. μ) Et hoc est illud SCtum Macedonianum, ab impellente suâ ita nuncupatum, impio nimirum fœenatore Macedo- ne, non à filiofamilias quòpiam luxurioso; ν) favorabile parentibus, pu- blicè utile, usurariis tremendum, quippe quod petentes repellit fortiter, suppeditatâ filiis Exceptione ipsorum actionem perpetuò elidente. Quod licet initio fœeneratorum causa fuerit constitutum, extensum tamen id fuit; ut per l. 7 §. 9. de SCt. Maced. nihil ampliùs intersit, utrum sub usuris, an sine iis credatur pecunia filiisfamilias. Atq; de hoc quidem dubitare Domitianum fuerit, ut quod expressâ Legum sanctione munitur non sine temerariæ alicujus stultitiæ notâ à quòquam impugnandum. Cumq; in foro externo id planè certum sit, illud plusculum dubitationis alere vi- debatur; utrum ab omni obligationis vinculo liberetur per SCtum Ma- cedonianum filiusfamilias, adeò, ut hæc oppositâ Exceptione si oneri sol- vendi humeros subtrahat, in conscientiam quoq; reddatur tutus?

§. 3. Interim, si pensus rem cogitemus, eximiè fallunt & falluntur, qui- modocunq; nullam prorsus obligationem contrahi à filiofamilias mutu- tum accipiente, præter casus SCtum cessare facientes, quos hic planè seclu- sos volumus, vanè sibi putaverint. Facile isti quidem totum negotium composituri, si tam veritate, quàm persuasione supervacaneâ illorum nite- retur

retur assertio. Quid enim prohibeat, quò minus filiusfamiliàs rectæ ra-
tionis usu, quò potissimum in contrahente est, instructus, hujusq; auxilio
consentire valens, ut ex cæteris contractibus, sic & in mutuo naturaliter
obligetur? Nec obstare hic Scti dispositionem rectè dixeris; quippe, de
quo disertè Paulus ξ) testatur, naturalem in eo obligationem manere.
Nemo igitur in dubium hanc vocaverit, nisi qui apertè & in os obloqui
legibus, ipsarumq; auctoritati præfractè resistere præsumat. Accedit ar-
gumentum firmisimum à diversâ hujus, ab alius indebiti, soluti repeten-
di conditione petitur. Quod planè indebitum est, condici modis omni-
bus potest; e) filiusfamiliàs si creditum sibi solverit iterum Creditori, tan-
tum abest, ut repetendi facultatem habeat, ut potius solutum meritisimo
suo creditor retinendi ut suum sibiq; debitum plenâ gaudeat libertate. π)
Qvî verò id fieri citra iniquitatem posset, si obligatus ne naturaliter qvi-
dem foret filiusfamiliàs? Atq; eâ finî quoq; Legem 9. citat. ubi id, quod
jam attulimus, statutum reperitur, Lex antea allegata 10. naturalem obli-
gationem loquens immediatè sequitur, ut rationem dispositionis indubi-
tata redderet. Quamquam aliam velit Paulus Laymannus, ρ) quia &
mulier pro alio intercedens naturaliter obligetur & tamen solutum repe-
tere possit; eamq; talem substituatur, quod hoc Sctum magis in odium fœ-
neratorum sit introductum, beneficium verò mulieri competens, potius in
ejus gratiam constitutum: Odiosa verò restringi, ut ex adverso favorabi-
lia extendi debeant; qui Doctoribus loquendi mos est. Mihi pro præsen-
ti argumento sufficiat ad ductum Legum firmam exinde obligationem
naturalem filiifamiliàs haut obscure evinci. Siquidem unius rei plures
quandoq; dari possunt rationes.

§. 4. Sed nec civilem omnem obligationem hîc sequestrandam peni-
tùs existimaverim. Illam enim etiam locum habere necesse est in iis o-
mnibus, in quibus exceptione tantùm juvatur alter. Exceptionem namq;
sine actione dari absurdum, cum hanc illa, haut secus ac habitum privatio,
præsupponat. Jam verò Lex 19. aliiq; passim in t. t. de Sct. Maced. obvii
textus testes sunt omni exceptione majores, filiumfamiliàs Scto in vi-
cem perpetuæ exceptionis uti debere ad Creditorem reprimendum. Quis
neget ergò Civilem adesse obligationem ubi datur actio? Tralatitium est
inter Philosophos, effectum de causa testari; nec filiam esse sine matre, ex
correlatorum naturâ patescit. At vero parum nobis faceissent negotia
verba Scti: ACTIO PETITIOq; DARETUR; ea enim non nisi de effe-
ctu veniunt exaudienda, nisi manifestæ antinomix arguere Leges pervica-
citer tentes. Quamvis alii hæc verba restringant ad eum casum, si expres-
sè appareat, contra Sctum fuisse actum; & tùm exceptionem adversus a-
ctionem dari censeant, si de eo ambigatur. Quod tamen suo relinquimus
loco. Et ut maximè locutionis evidentiam hîc urseris; sponte tamen na-
scitur, quod reponam. Eò nimirum respexisse Senatam, quod nihil inter-
sit, ipso jure quis actionem non habeat, an talem, quæ per exceptionem in-

ξ) L. 16. de Scto
Macedon.

o) t. t. d. con-
diti. indebit.

π) L. 9. §. f. d.
Sct. Maced.
conf. L. 40. d.
conditi. indeb.

ρ) in Theolog.
moral. lib. 3.
sect. 5. Tract. 4.
cap. 15. n. 3.

6) L. 112. d. R. l. firmetur. 7) in paratit. ff. de SCt. Maced. num. f.

v) Vid. Petri Ostermanni rational. ad Inst. §. 7. quod cum eo qbi in al. pot. &c.

φ) Bus. ad L. 1. d. SC. Maced. num. 6.

χ) Dn. Struv. Exerc. 1. th. 58. Conf. L. 6. de I. & 1.

ψ) Exercit. 20. th. 55.

ω) in Not. ad Vvesemb. de SCt. Maced. num. 2.

Adstipulator adest Vvesenbecius, 7) hant frustra sibi prate-
rea existimans, Prætores olim ex SCto petitiones hoc nomine denegasse,
quamvis ipso jure ex obligatione extitissent. Et quid in re manifestâ tam
anxiè laboramus? facit utramque paginam Lex antepen. de SCt. Maced.
Ubi mortuo filiofamilias creditorem ejus non posse accipere fidejussorem
refertur ex Juliano; quod nulla, neq; Civilis, neq; naturalis obligatio SU-
PERSIT, cui accedat. Cur SUPERSIT? quia vivo filiofamilias u-
traq; extitit, cumq; eo extincta est. Vana enim & inutilis hæc esset ratio,
nisi unquam fuisset. Nam quod non superesse amplius dicitur, utiq; ali-
quando fuerit oportet. v)
§. 5. His ita prælibatis apparet oppidò, quid ad thema nostrum pro-
positum respondendum veniat. Quod à Civili quidem obligatione
ratione effectus in foro externo filiumfamilias suppeditando exceptio-
nem liberet SCtum; nullatenus verò à naturali, quippe quæ in L. 10. mane-
re exsertè perhibetur. Idq; adeò ut relinqvat conscientia filiofamilias cre-
ditum datâ occasione solvendum, concessâ solummodo exceptione, in o-
dium fœneratorum favoremq; parentum & ultimò utilitatem publi-
cam, litis ingressum impediendo. φ) Nec erit ergò hoc negotium è numero
eorum, quæ juri civili determinationem suam transcribunt. Si quidem
hîc jus civile non determinat, sed obligationi tantum detrahit effectum
suum in foro externo, impediendo scilicet actionem ipso jure existentem.
Id enim hæctenus solenne ipsi est, ut aliquando non assistat juri naturæ, ex
justa ratione quâdam vim & effectum denegando alicui actui, qui tamen
secluso illo jure positivo haberet effectum. χ) Cujus evidens spectatu
exemplum in pacto nudo est: huic ob rationem politicam, ne scilicet ni-
mis constringeretur Civium loquendi libertas, neq; multiplicarentur li-
tes, detrahitur effectus, hoc est, denegatur actio; interim non prohibetur,
quo minus quis pactum firmiter initum servet; sed paciscentis relinqui-
tur conscientia, eumq; , qui dictamen rationis & conscientia suæ non ob-
servat, non absolvit jus civile. Haut aliter comparatum hîc cum mutuo
est: subministrat eqvidem in favorem parentum & odium fœneratorum
exceptionem filiofamilias lex positiva, interim eum convictum in consci-
entiâ, si non solvat, non absolvit. Quippe ipsius dispositio sese non ex-
tendit ultra forum externum.

§. 6. Quæ omnia licet ita sese habeant, in quæstione tamen, utrum in conscientia quoque tutus sit exceptionem Senatus Consulto opponens filiofamilias? mirum quantum inter se scinduntur Doctores. Dominus Struvius ψ) id disertè adstruit, tutumq; pronunciat in conscientia, qui hoc SCto utitur, licet naturalis obligatio maneat; ob Legis scilicet civilis auctoritatem, quam observare debebat fœnerator. Idem ferme sentit Dominus Hahnus, ω) quòd, etiam si illud SCtum non ratione aliqua internâ & naturali, sed externâ & civili nitatur, ab odio fœneratorum & utilitate publicâ desumptâ; tamen internæ & naturali, de mutuo reddendo, præ-



do, prævaleat externa, propter circumstantias, sitq; adeò tutus in consci-
entiâ filiusfamilias, qui exceptionem illam opponat. Illud tamen quod
Filliucius *a*) asserit, filiumfamilias mutuum accipientem teneri in con-
scientia ad restitutionem, utroq; approbat pollice. Cæterum ut suam
thesin probet Dn. Hahnus, determinationem hîc juris civilis adesse putat;
& subesse hîc quidem præceptum juris naturæ de mutuo reddendo; at illud
determinari jure Romano ad particulares modos & certas circumstantias,
quæ non cadant sub legem naturalem, exemplo depositi restituendi in L. 31.
depositi. Simili modo affirmantium castra sequitur Zæsius *b*) etiam in in-
teriori foro huic exceptioni locum esse adstruens, ductus autoritate In-
noc. & Panorm. in cap. novit. 13. n. 33. X. de judiciis. Ratione vero eâ, quod
justa Lex inducta in bonum publicum, ad reprimendas aliquorum credi-
torum nequitias, potuerit illos jure suo privare; atq; ita operetur etiam
in foro conscientie. Allegat is quoq; Covarruv. de pactis part. 2. §. 3. n. 6.
tanquam stantem à suâ parte. Quem item hanc in partem citat Paulus
Voëtus *c*) iisdem rationibus affirmativam defendens. Ludovicus Moli-
na *d*) statuit cum reliquis, naturaliter, quin & civiliter obligari ex mutuo
filiumfamilias; sed tamen in conscientie quoq; foro à Scto reddi tutum.
Idq; propterea, quod potestas publica introducere id potuerit in commu-
ne bonum: Lex autem justa vim habeat in foro conscientie. Quo nomi-
ne & non parum reprehenditur à non nemine, quasi ne naturaliter quidem
filiumfamilias obligari tradat. Crasius paulò philosophatur Johannes de
Lugo *e*) qui propter Sctum hoc ne obligari quidem censet filiumfamilias
cum in foro externo, tum interno seu conscientie judicio. Utramq; ob-
ligationem concedit Ferdinandus de Castro Palao *f*) sed & utramq; tolli
putat per sæpè dictum Sctum. Fundamentum suæ assertionis depromit
ex eò, quod, si naturali solvendi obligatione exceptio Macedon. non libera-
ret filiumfamilias, non satis cautum foret periculo parentum, iniquitatiq;
fœneratorum prospectum; siquidem & tunc filiusfamilias, ut ab ea obli-
gatione liberetur, ære q; alieno conscientiam suam gravante, paraturus
foret insidias haut secus ac antea parenti. Credendum ergo potius sibi
existimat, non solum à civili obligatione, sed & naturali eum liberari
Aliâ deinceps allatâ insuper ratione, quod alias lex quandam fovere
videatur iniquitatem exceptionem concedens, ne mutuum, quod non ob-
stante illâ in conscientia debitum sit, solvatur. Ipse sibi verò dubitandi ra-
tionem accersit ex dictis suprâ. §. n. 3. quod solutum repeti à filiofamilias non
possit; eamq; satis feliciter occisam putat ab auctoritate Legis positivæ;
quia scilicet ea ita disponat, ut solutum retineatur, non quia debitum sit,
sed quia Respubl. positâ solutione, rei solutæ dominium, & retentionem
creditoribus concedat; ne infinitis fora replerentur litibus, neve intelli-
geretur filiis legem Macedonianam favere voluisse; sicuti positâ exceptio-
ne, ante solutionem, ab obligatione solvendi filii eximantur in favorem
parentum. Nec contrarium, decidi in L. 9. h. t. arbitratur. Solum enim
eam

a) Tract. 34.
cap. 10. nu. 222.
in fin.

b) in Comm.
ad D. de Scto.
Maced. n. 6.

c) in Comment.
ad Instit. quod
cū eo qvi in al.
pot. est Sc. n. 5.
d) d. 1. Sc. I.
Tom. 2. disput.
301. n. 1. Sc. 2.

e) disp. 25. sect. 1.
num. 3.

f) Oper. moral.
part. 5. tract.
32. disp. 4. punct.
3. num. 6.

g) Theol. moral. lib. 3. Sect. 5. Tract. 4. c. 15. num. 4.

eam intendere ut significet, ab actione creditorum liberari filios in poenam creditorum, non ex intentione filios exonerandi ab obligatione solvendi, tamen si verè exonerentur. Porro & hoc addit, quod exceptio ista sit quidem odiola respectu foeneratorum, favorabilis tamen respectu parentum, ac proinde latius interpretanda. Tandem & Paulus Laymannus g) succedit. Hic itidem ad auctoritatem Legum civilium provocat; quod nempe illæ potuerint tum ob odium foeneratorum, tum etiam ob Reip. commodum ita statuere, ut tam extra iudicium, quam in iudicio, adeoque in utroque foro, exceptio creditoribus opponeretur ad liberationem filiorum familias. Voluisse autem id leges, colligit potissimum ex L. tamen si, II. h. t; ubi habetur, filium familias perpetuam exceptione tutum esse contra Creditorem; adeo ut, etsi non oppositam exceptionem à iudice condemneretur, nihilominus illam eidem uti liceat; quod vel falsum fore putat, vel iniqum, nisi & in animæ iudicio liberaretur. In sequenti verò contextu ad Covarruvix argumentum quoddam respondet, quod inferius discutendum nobis reservamus.

h) Laymann. lib. 1. tract. 1. de consc. cap. 2.

i) Gbrielm. Amesius de consc. lib. 1. c. 2. num. 6.

§. 7. Et hi quidem sunt, ut alios taceam, affirmativæ acerrimi propugnatores. Quorum argumenta satis gravia, nec de nihilo videri poterant; ut parum abtuerit, quin in illorum sententiam iverimus; accedente cum primis tantorum virorum auctoritate, quæ unica ad quidvis etiam credendum tyronem inducere valet. Verum quia conscientia tenerrima perhibetur virgo, amplexuum multorum impatientissima, vix puto excusandum, qui, dum ab omni restitutionis vinculo conscientiam quoque filii familias serio adstruit immunem, tam amplas ipsi ad nequitiam aperit fenestras. Quid enim hoc est aliud, quam allicere eundem, ut nihil vereatur dare verba turpiter, creditoribus suis foedè imponere, conquirere alienum æs, quo ad malitiam, ad luxum, ad alia nefanda abutatur flagitia, si quidem quoque in conscientiam liber erit? Est conscientia actus intellectus practici iudicantis aliquid hinc & nunc agendum esse vel fuisse tanquam bonum & honestum, vel fugiendum esse vel fuisse tanquam turpe & inhonestum. h) Eaque fluit ex synteresi, habitu scilicet & conservatione principiorum practitorum, quæ ita homini innata sunt, ut non possit ea non scire, propter rationem ipsi competentem, per quam solam à brutis differt. Et hinc est, quod Spiritus S. ad Rom. 2. de gentilibus graviter perhibet: Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiam eorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus vel defendentibus. Ceterum & ideò quoque duplicem faciunt moralium Doctores conscientiam, naturalem scilicet & illuminatam. Idque propterea, quod ad synteresin latius acceptam referri debeant non solum generales de jure conclusiones ex principiis naturalibus per certam consequentiam, sive discursum, deductæ; sed & omnes veritates practicæ, quibus per fidei revelationem certum præbemus assensum. i) Hinc ita finiunt utramque conscientiam. Naturalem, quæ agnoscat pro lege principia natu-

naturalia & conclusiones ex iis deductas: illuminatam, quæ insuper agnoscat quicquid in scripturis præscribatur. Sive igitur definitionem ipsam conscientia, sive utramque ejus speciem aspicias, utrobique emicabit clarè, in conscientia obligari filium familias mutuum accipientem non obstante Macedoniano SCto. Ipsa enim ipsius conscientia judicat indubiè, turpe esse, cum alterius damno locupletari; k) & honestum, restituere id, quod creditum fuit. Idque perspectu facillimum ex principiis ipsi innatis. Generale est, & clam esse neminem poterit, quod circumfertur: Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Jam nemo sanè voluerit sibi non restitui id, quod sub lege restitutionis credidit. Certum ergo hinc est, nec ipsum filium familias benè agere & rectè, si, quod creditum sibi est, non restituat; & igitur obligari in conscientia naturali eundem ad restitutionem, ne contra eam graviter peccet. Quod si verò illuminatam, uti loquuntur, perpendas conscientiam, ad oculum patebit, ipsum adhuc in conscientia obligari. Sit nobis instar omnium, quod à Regio Psalmistâ instinctu Divino dicitur: l) Impius mutuum accipit & non solvit. Huic ergo si assensus præbeatur, ut necessariò præberi debet, convictus erit in conscientia filius familias, impium se esse nō solvat. Et frustra hic est Petrus Ostermannus, m) dictum hoc Davidis de mutuo legitimè dato solum modo accipiendum esse, afferens; hoc verò esse illegitimum, quia tendat in perniciem patris. Posito enim, esse id propter illegitimum, non erit tamen respectu filii, de quo potissimum quæstio nobis intercedit. Disertè hoc loquitur L. I. in fin. d. SCt. Macedon. cessare SCtum Macedonianum, si ex peculio castrensi solvendi facultatem habeat filius, affirmans.

§. 8 Nulli ergo dubitamus sequi vestigia subtilissimi Moralistarum, Didaci Covarruviz à Leyva. n) Hic ipse iudicii libratissimi Vir non obstante Macedoniani exceptione in animæ quoque; iudicio verè teneri adstruit filium familias ad solutionem mutuatae pecuniæ, & quidem ipsi creditori. Evincit id ex sæpius citata lege 9. §. penult. d. SCt. Macedon. Ita autem ille philosophatur: Est manifesti juris, creditoribus denegari jure civili actionem in pœnam: non tamen ex hoc ipsos debitores ab are alieno liberari, nec ipsos creditores propriam pecuniâ à Lege privari: tantum sanè actione a iudice exteriori proponendâ privantur. Quibus subjicit statim Innocentium & Panormitanum, aliosque; non parum deerrasse verò, qui quâdam utantur distinctione; quasi tunc demum in animæ iudicio teneri ad solutionem filium velint, si nihil eorum malorum, quæ lex præsumit, ex mutui datione contigisset. Licet enim id evenisset; non tamen apparere Creditorem à lege privari propriam pecuniâ: nec filium familias debitorem ab ejus solutione liberari. Atque hoc insuper ex Bartolo, liberationem jure pœnæ causâ contingentem minimè liberare debitorem in animæ iudicio, dicente confirmat. Ex eodem

k) L. 14. de
condict. indeb.
L. jure natura
206. de R. J.

l) Psalm. 37.
vers. 21.

m) Rational.
ad Instit. ad §.
7. quod cum eo
q. in al. pot. Sc.

n) Tom. I. Re.
lect. cap. quæ-
stio de pact. in
6. part. 2. §. 3.
n. 6.

dem hoc nostro Covarruvia depromit sententiam suam Andreas Faehi-
neus, o) auctoritateque ejus nixus negativam sibi habet persuasissimam.
Nec aliis ad firmandum illud nititur argumentis, quam à naturali filiifam-
miliis obligatione, soluti denegata repetitione, & injusto exinde præ-
dicti filii oriente lucro petitis. Idem habet Johann de Dicastillo, p) qui
remissivè prius hanc controversiam nobiscum decidit; deinde de suo
addit, quòd jura hìc non liberent ab obligatione naturali; sed solum à
civili, negando nimirum actionem in foro externo; & quamvis jus non
assistat contractui, illud tamen ei non resistat, nec naturalem tollat o-
bligationem. Essent plures, quorum auctoritate corroborari nostra senten-
tia posset, nisi tempori parcendum, & studendum brevitati foret, aut
præstaret pugnare rationibus, quam longè arcessere autoritatum pon-
dera.

§. 9. Videamus igitur adversariorum tela, utrum infringere ea-
dem & repellere valeamus. Illud primum miror, quòd omnes fermè il-
li naturalem obligationem manere admittant (nec enim possunt aliter,
propter sæpius citatæ Legis expressam assertionem) excepto unico Cardi-
nale de Lugo, cui hætenus, quantum nobis quidem perspicacibus esse
licuit, nemo Doctorum vel interpretum assensus est: & tamen in consci-
entia filium Scro utentem pronunciant tutum. Quovis enim certo
certius est, obligationem naturalem ipsam esse obligationem in consci-
entia; & eum, qui naturaliter obligatur, non posse non etiam in con-
scientia obligari. q) Ita nimirum est: obligatio naturalis est vinculum a-
liquod naturæ & æquitatis, vel ex conventionem quolibet seriâ, vel sine
eâ quoque ex singulari æquitatis ratione stringens. r) Jam, quæ ex natu-
râ descendit, conscientiam obligat, idque ex principiis practicis. Hinc
naturaliter obligatus filius in conscientia quoque teneatur necesse est.
Porro obligatio naturalis æquitatis vinculum est: utique & hic consci-
entia munus suum exequetur; cognoscit enim æquum & honestum,
simulque illud præcipit servandum. At enim verò quis neget seriâ
quoque in hoc negotio intercessisse conventionem? Obligamur verò na-
turaliter ex consensu, & ex eodem in conscientia quoque obligamur, quam
primum enim consensum est, statim conscientia dicitur promissa esse ser-
vanda. Quæ omnia manifestum faciunt naturaliter obligatum obligari
in conscientia. Et idem agnoscit acutissimus Vinnius. s) Cæterum quo-
modo obligatio naturalis stare; & tamen in conscientia quoque esse pos-
sit liber filius familias, non video: directio enim hæc inter se pugnant, &
alterum alterum tollat necesse est.

§. 10. Legum civilium autoritas hìc parum conficit. Damus enim
lubentes meritò Legem positivam obligare in conscientia, non quidem
immediatè & per se, sed per conscientiam erga DEum, quod vult Guil-
helmus Amelius. t) Operatur hoc divina Magistratus institutio, jus-
susq;

o) *Controvers.*
juris lib. 2. cap.
62 in fin.
p) *d. j. & j. lib.*
2. tract. 10. disp.
n. dub. 3. n. 47.

q) *Ferdinand.*
Vasq. illu.
str. controvers.
part. 1. lib. 1.
cap. 28. n. 10.
p. m. 309.
r) *Vinn. ad*
rubr. Instit. d.
oblig. n. 3.
Franz. ad D.
de condit. in-
deb. n. 22. Ta-
bor partit.
element. part.
3. sect. 7. th. 11.
s) *cit. loc.*

t) *de conscient.*
lib. 5. cap. 25.
n. 18. 19.

susq; expressus, ex quo ad obediendum Imperantibus adstringuntur
 parentes. Unde famosum illud Pauli: *u*) Omnis anima potestatibus
 sublimioribus sit subdita. *w*) At id extendendum non est ad leges per-
 missivas, quippe quæ non seriò præcipiunt aliquid aut vetant, sed per-
 mittunt. Quot enim quæso permittunt propter politicam ratio-
 nem leges nostræ civiles, quæ in se turpia sunt atque inhonestæ? Pa-
 tescit hoc, ut alia præteream, ex l. 27. de hæred. petit. ubi lupanaria per-
 mittuntur. L. 5. de donat. L. 4. d. cōdict. ob turp. caus. sustinentur do-
 nationes meretricibus factæ, ipsaq; per consequentiam scortatio per-
 mittitur. Simile exemplum habemus in concubinato. Interim si hi-
 sce legibus vim conscientias obligandi adscriberes, quot Deum immor-
 talem! exinde propullulatura forent absurda? Sic naturaliter contra-
 hentibus se invicem circumvenire permissum: *x*) ergone in consci-
 entia obligabuntur ad circumveniendum? Dissimile eqvidem in quibus-
 dam nostrum ab his est, at in hoc tertio, ratione conditionis suæ per-
 missivæ, eadem militat ratio. Suppeditatur enim ob favorem paren-
 tum; atq; odium fœneratorum filiofamilias exceptio contra creditorem,
 interim non tenetur in conscientia eandem opponere, nec absolvitur inde
 ab onere solvendi, si data occasione solvere possit licet vel maximè
 eandem opposuerit. Nec jubet SCtum mutuum non reddi, sed non
 reddi in præjudicium & detrimentum Patris. Quatenus enim illud
 non exinde nascitur, ipsa etiam lex civilis mutuum restitui severè im-
 perat, quod ex iis, quæ de peculio castrensi supra diximus, evadit mani-
 festum. Dicitur autem non potest, quod externa circumstantia præva-
 leat naturali & internæ de mutuo reddendo regulæ; siquidem illa ha-
 bitus tanti non est, nec probari ullo modo poterit, illud unquam inten-
 disse SCti dispositionem.

§. II. Quod de determinatione juris civilis dicitur, id quomodo
 huc quadret planè non penetra. Ubi enim illa determinatio mutui
 lateat, usq; huc nondum perspicere licuit. Non negamus quidem
 hanc facultatem juri civili, quippe quæ in determinatione Legitimæ ju-
 re naturæ debitæ, aliisq; exemplis ad oculos patet. At factum nega-
 mus. Siquidem in toto juris volumine ne *xv*) quidem de eo repereris,
 si vel centies voveris & revolveris. Et ut maximè tibi hic determina-
 tionem aliquam fingas; non aliter licebit tamen, quàm respectu paren-
 tis, quod cum ipsius detrimento hoc mutuum reddi non debeat. Ve-
 rum & illa determinatio nulla fuerit, quia respectu patris mutuum hoc
 mutuum non est; adeoq; determinationem recipere nequit. Cate-
 rum respectu filii nulla hic determinatio reperiet locum, cum ex asser-
 to Legum naturaliter ad restitutionem obligatus maneat. Maxima
 verò stat differentia ratio inter depositum restituendum, & nostrum
 mutuum. In illo enim, per l. 31. depositi, restitutio expressè prohibetur,
 hic non item.

u) ad Rom. 13.
w) Conf. Vasq.
 part. 1. lib. 1.
 c. 29. n. 1. Fer-
 dinandus de
 Castro Palao
 Oper. Moral.
 part. 1. tract. 3.
 disp. 1. punct.
 14. n. 2. Johan.
 de Salas disp.
 10. d. LL. sect.
 1. n. 6. Domin.
 Soto de J. &
 J. lib. 1. q. 8. est.
 4.

x) L. 16. §. 5. d.
 minor.

§. 12. Innoc. & Panorm. potissimum hoc est argumentum: creditor
sui familias non licere denunciationem facere contra filium, propter
obstantem S^cti exceptionem: adeoq; tutum esse in conscientia filium-
familias, si beneficio utatur Macedoniano: idq; ex Bartolo adducit Pa-
normitanus in c. Novit. 13. n. 33. X. de judic. ; ubi ex eodem porro refert,
licet obligatio naturalis filium teneat, præjudicari tamen ipsi à benefi-
cio Macedoniano introducto in odium Creditoris favoremq; paren-
tum, nec minus ad delicta coërcenda. Deinde verò hanc subtilem,
uti loquitur, subjicit rationem, quod nihil sit apud filium familias, cujus
dominium non habeat; siquidem rei mutuatae dominium ad eum trans-
eat, contra actionem verò adversus eum intentandam data sit ipsi legi-
tima exceptio. Cumq; illa sit concessa ab eo, qui actionem dedit, filio
hoc sufficere & tutum eum esse etiam quoad DEUM. Parum hic mo-
ramur, qualem hic intelligat denunciationem Bartolus, licet judicialem
præsupponere Panormitanum ex præcedentibus ipsius collectu haut
difficile videatur. Nec indagabimus prolixè, an prohibeatur creditor
denunciationem judicialem facere contra filium S^cti exceptionem op-
ponentem. Id tamen dicimus, malè hic concludere cum Bartolo Pa-
normitanum. Supra enim fuit evictum, naturaliter obligatum esse
obligatum in conscientia. Jam si illam obligationem admiserit, hanc
quoq; admittat necesse est. Nihil verò stringit, quod dicit, præjudicare
naturali obligationi S^ctum; id enim hæctenus strenuè negamus, cum
illam non tollat, sed remedium solummodo suppeditet, quo pater fa-
miliæ securus esse possit tum ab insidiis vitæ suæ struendis, tum ab o-
nere solvendi creditum citra consensum suum contractum; tum etiam
ut foeneratorum coërcetur pravitas. Ratio à Panormitano subjecta,
utut subtilissima, parum habet in recessu. Quod si enim propter domi-
nium mutui per contractum transiens liberaretur filius familias à sol-
vendi necessitate, quis daret mutuum alteri? Et licet suppeditet exce-
ptionem, qui dedit actionem, non tamen is propterea absolvit filium fa-
miliæ, sed; ipsius relinquit conscientia solvendum id, quod sibi creditum
est. Ponamus autem denunciationem creditori contra filium familias
facere non licere; id propter canones absolvit filium familias contra
naturalem æquitatem? quinimò potius assistunt Legum civilium dispo-
sitioni, & quandoquidem illæ naturalem non tollunt obligationem, et-
iam hanc in suo relinquant vigore.

§. 13. Justam legem in publicam utilitatem latam posse quem pri-
vare suo jure, id sano sensu admittimus. Cæterum utrum inde, si id fa-
ctum fuisset, cum tamen factum simpliciter negemus, etiam filius fami-
liæ liber sit, de eo dubito. Sit enim ita, creditorem suo jure aliquo mo-
do in pœnam à Lege civili orbari; id tamen respectu parentis fiet so-
lummodo, & actionis in foro externo ipsi cum effectu competentis. In-
terim ex eo de liberatione sua filius non habebit sibi gratulari, cum
quic-

quicquid etiam disponat hic jus civile, in naturalis obligationis subla-
tionem tendat minimè. Illud mirari magnoperè subit, Zæsum & Voë-
tum Covarruviam allegasse ut sententiæ suæ assertorem, cum expressè
tamen contrarium citato defendat loco.

§. 14. Ex dictis §. 9. & 10. concidit itidem Molinæ fundamentum.
Majoris fortè ponderis fuerit, quod in suam sententiam accersit Ferdi-
nandus de Castro Palao; dum naturaliter filio obligato manente non
satis cautum fore periculo dicit parentum. Timendum enim, ne adhuc
ante dies in fata patris inquirerent liberi. Neq; verò absurdè adeò,
cum legis intentio ea potissimum videretur, discrimini prospicere pa-
rentum & coërcere filios insidias illis struentes nefariè. Verum enim ve-
rò id hætenus tanti non est, ut disertam legis assertionem tollat atque
evellat. Esto enim hanc eandem Senatui fuisse intentionem; ea ta-
men ultra forum externum extendi noluit, quia obligatio durat natu-
ralis. Jam ergo vim inferremus legi, si contra expressa ipsius verba ob-
ligationem in conscientia tollere eam voluisse statueremus. Satis au-
tem periculo parentum cautum existimavit lex, si in externo judicio
creditoribus repetendi denegaretur facultas: cum tutus exinde evadat
parens de solvendo in suum detrimentum credito; nec etiam præcisè co-
gantur filii ad conquirenda hinc inde solvendi media; sed liberum ipsis
relinquatur datâ occasione solvere, & conscientia suæ sine parricidii
scelere facere satis. Nec volituum filium familias sibi putat Dicastillo,
ut à minori conscientia onere, credito scilicet, liberetur, incurrere
gravius parricidii nempè. Quod si tamen adhuc maleferiati quidam
tantum conari scelus præsumant, id fieri per accidens nemo non videt;
firmâ interim manente Legis dispositione, quæ adhuc finem suum erit
assecuta. Quid enim, si in conscientia etiam ab onere solvendi libe-
rare filium potuisset & voluisset Scrum; posthabito tamen istoc benefi-
cio, in favorem fortè creditoris tale quid patrare non erubesceret filius;
ergone ex illius conamine in cassum abierit saluberrima legis intentio?
Quin sexcenti alii id non facere, sed occasionem præstolari, & citra im-
pietatem contractum æs exsolvere possunt. Injustè verò legem iniqui-
tatis ream postulat Ferdinandus de Castro Palao. Non enim concedit
exceptionem, ne mutuum, quod eâ non obstante in conscientia debe-
tur, solvatur: sed ne solvatur cum detrimento & incommodo parentis.
Rationem ipsi obstantem quod solutum repeti nequeat, parum sufficien-
ter confutatam video, propter sæpius citatam Legem 10. de Scro Macedo-
n. Quid ergò opus longè arcessere rationes denegatæ facultatis re-
petendi, à beneplacito legis, & incommodo multiplicationis litium pe-
titas; siquidem accuratorem subministret dicta lex: Quia naturali ob-
ligatio manet. Legis, sed etsi pater &c. interpretatio cerebrina est &
facti ac contraria ipsis verbis: non quia eos exonerare lex voluit: ut &
subsequenti legi. Nec movet nos regula: odiosa restringi, favoresque

y) dict. loc.
num. 50.

simpliari debere. Ea enim virtutem suam amittit in presenti negotio
ubi expressè aliud in Legibus decisum invenitur.

§. 15. Quantum legum civilium auctoritas, quam pro se adducit
Paulus Laymannus, corroboret affirmantium sententiam, tardiosè hic
repetere nolumus. Restat ut perscrutemur, an ex eo, quod perpetua ex-
ceptio non opposita etiam, adeoq; & extra iudiciũ, proficit; obligationem
quoque in conscientia tolli probeatur. Et sanè id Laymanno nullate-
nus concesserim. Infirmis enim & manca fuerit sequela, extra iudicium
prodest exceptio, ergò in conscientia liberatur filius. Siquidem quod
dicitur, extrajudicium prodesse SCtum, non extendendum venit ad
forum animæ; sed ad extrajudicialem spectat exactionem: hoc est,
creditor extra iudicium etiam crediti exigendi facultatem non habet.
Iniquitatem ergo ex hoc ipso resultantem frustra hic timet Laymannus.
Reservavimus nobis ejusdem Doctoris, quam ad Covarruvia repositum
argumentum, responsionem, cujus etiam supra §. 3. mentionem quan-
dam ingessimus. Nimirum cum Covarruvias liberari filios familias in
pœnam solummodo dicat creditorum, eosq; inde adhuc in animæ te-
neri iudicio, quia lex eos exonerare noluerit. L. sed etsi &c. promptè re-
gerit Laymannus; in eâ lege mentem fuisse Jcto tantum discriminis
afferre rationem, cur pupillus si v.g. quod civiliter indebitum erat, sol-
verit, repetere possit, filius familias non item; eamq; causam ex favo-
rabili & odioso depromit. Verum sit ita; illa tamen ratio, non exo-
nerari filios, sed naturalem persistere obligationem, quæ in ipso textu &
subsequenti lege subtexitur, nullatenus erit sequestranda. Benè
ergò ipse Laymannus naturalem civilemq; hic agnoscit obligationem;
at contra illam malè exceptionem in animæ quoque iudicio op-
poni posse putat, cum tantam sibi illa virtutem mi-
nimè vindicet.

DEO SOLI GLORIA.





GENEROSE LOSSI;

Dum pulpita iterum disputaturus auctor conscendis, ego verò silere nolui. Non quod meâ istâ incomptâ satis scripturâ ad quicquam tibi me profuturum existimarem; sed ne securior negligentiorq; officii mei viderer. Bene enim tuis, GENEROSE LOSSI, conatibus precantur omnes, & multum exinde praesidii olim sibi sperant in publicum. Quorum eaq;idem expectationem, quod haud vanè augurari licet, vel superabis eximie, vel eidem tam abundè facies satis, ut quidem alius nemo. Ut enim de excellentibus ingenii dotibus judicandiq; alacritate, quâ jam es in illo adolescentia vere, nil quicquam dicam; rarus ac inusitatus planè hauriendi juris divini pariter ac humani, literasq; palitiores addiscendi fervor in te ad miraculum eminent. Nec effectus defuit haellenus: quippe quæ specimina, quæ in publicum dedisti sat elimata, disertè loquuntur. Ut adeò, si ve disserendum ex Cathedra, si ve oratoris munus obeundum, dicendo valeas ubiq; aq;es cunctos, plurimè verò quàm longissimè præstes. Præter hæc tam elegantibus moribus virtutumq; disciplinis composuisti animum, ut faciliè quæ in tui amorem advertas ac trahas. Eò fit, ut quæ per insigni eruditionis vi non capiuntur, tuæ illi singulari modestiæ faciliè cedant. Nam Gallicè quæ dicis, idè promptius, ut quæ Germanum te ignoret, Gallum illicè æstimet. Tuam igitur indolem & ipse miratus semper sum, & ad ea spatia, quæ inter illa adolescentiæ & ætatis firmæ consinia fecisti, obstupui non semel. Non putes, GENEROSE LOSSI, abjecto placendi studio adductum me hæc talia scribere: uberrima ad manum se dant hæc in rem veritatis indicia, quæ, me quævis tacente, ipsa tuam oratura causam esset. Benedicat ex alto Sanctissimum Numen ulterius tuis studiis actionibusq; pulcherrimis, ut quæ nunc juvenem impensè amamus, virum olim reverenter colamus. Dabam ex meo Museo prid. Non. Febr. • 1756 LXXVIII.

Tuus ex asse

P R Æ S E S.



GENEALOGIE L. 221

Die Genealogie ist ein wichtiges Instrument zur Kenntniss der Vorfahren...
In dem Jahre 1711...
Die Genealogie ist ein wichtiges Instrument zur Kenntniss der Vorfahren...
In dem Jahre 1711...
Die Genealogie ist ein wichtiges Instrument zur Kenntniss der Vorfahren...
In dem Jahre 1711...

Tour de France


GENEALOGIE



X2615925

VDA7







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1668 11
27

E. JEHOVA.
ORDINE. SUFFRAGANTE,
DISCUSSIONEM,
MATIS.
E. SOLVAT. FILIUM FAMILIAS.
M. MACEDONIANUM?
SIDE.
RAUSS. JUR. LICENT,
ONIT. CENSURÆ.
PAR. DE. LOSS,
MISNIC.
HOR. MATUT.
LXVIII.
ACROAT.
BERGÆ,
LIANO. EXCŪDEBAT,
METER.

